INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE AESTIVVM

ANNI MDCCCLXXXIX

A DIE XXIII MENSIS APRILIS

HABENDARVM.

INEST

ADOLFI KIESSLING COMMENTARIOLVM PROPERTIANVM.

GRYPHISWALDIAE

TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE

MDCCCLXXXIX.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

PRO RECTORE

FRANCISCVS HVGO SCHWANERT

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

Propertii carmina multo minus librariorum culpa quam propter ingeniosi et docti poetae artificia obscuriora legentibus videri et magis interpretis quam emendatoris officium flagitare nuper denuo comperi, cum 'reginam elegiarum' cum aliquot adolescentulis accuratius legerem. Neque e re esse videtur hac scribendi occasione rursus mihi oblata idoneis aliquot exemplis comprobare, quanta cautione in antiquarum litterarum monumentis recte tractandis opus sit, ne medicina qua eis succurrere velis plus afferat detrimenti quam utilitatis. Atque una praeter omnes emendandi ratione nisi egregie fallor prorsus abstinendum est in Propertio, ea quae petitur ex interpolatorum versuum aucupio: quo in genere a vero aberravit is qui ante hos decem annos aliquot huius carminis eximii versus docte explicuit, Aemilius Hübner, in disputatione commentationibus in Mommseni honorem ab amicis oblatis inserta p. 98 sqq. Is enim ex hoc versuum nexu

Te Lepide et te Paulle, meum post fata levamen:
    condita sunt vestro lumina nostra sinu.
65 vidimus et fratrem sellam geminasse curulem:
    consul quo factus tempore rapta soror.
filia, tu specimen censurae nata paternae,
    fac teneas unum nos imitata virum.
et serie fulcite genus.

quod medio loco legitur distichon, quod sententiarum cursum a filiorum appellatione ad filiae admonitionem progredientem interrumpere videretur, eximendum et ut ex interpolatione natum delendum esse censuit. Atqui ipsae rerum et hominum nobilium his versibus commemoratorum rationes, si accuratius examinentur, tam apte conciuunt ut quasi clamare videantur, ne certam hanc temporis notam qua annus ipse quo hoc carmen compositum sit indicatur, ei per vim eripi patiamur.

Fuit enim quae loquitur Cornelia Scriboniae filia, quam antequam anno urbis 714 (Appian. B. C. V 23, Cassius Dio XLVIII 16) nuberet Octaviano Caesari '*nuptam ante duobus consularibus, ex altero etiam matrem*' fuisse narrat Suetonius Aug. 62. Quin alter ille vir consularis fuerit ipsius Corneliae pater dubitari nequit: minime vero cogitare licet de P. Cornelio Scipione consule 716 (Borghesi opp. IV 70), qui propterea Scriboniae maritus non fuit, quod post divortium demum factum ad consulatum pervenit: non potuit igitur a Suetonio vocari consularis. Immo quaerendus est inter consules aetatis Caesarianae, neque video quid obstet quominus P. Cornelium P. filium quem fastis Colotianis consulem suffectum 710 fuisse docemur Corneliam genuisse statuamus. Huius itaque viri fuit filius P. Cornelius P. fil. P. nep. Scipio cos. 738, quem fratrem et consulem '*quo tempore rapta soror*' Cornelia Propertii testatur. Atque si verum est quod certis aliquot exemplis*) ad Horatii carminum IV 1, 9 compositis probare studui, Augustum ad consulatum viros generis nobilitate insignes fere '*suo anno*', id est trigesimo tertio aetatis anno, evehere solitum esse, P. hunc Cornelium Scipionem Augusti privignum annis 704/705 natum esse colligere possumus: Corneliae autem natales vix citra annum 706 proferre licet, nisi eam minorem quattuordecim annis Paullo nupsisse velimus. Ex duobus enim filiis, quos in matrimonio Aemilii Lepidi Paulli, consulis 720 et censoris 732 (Borghesi opp. l. l.), genuit, alter L. Aemilius Paullus consul factus 754, post 721 natus esse non potest: alter M. Aemilius Lepidus fuit consul 759: ante 720 igitur nupsisse Corneliam Paullo consentaneum est. Quamquam admodum adolescentula fuisse debet propter matris Scriboniae aetatem, quae Juliam filiam 715 Octaviano natam anno 752 in exsilium prosecuta est. Atque si anno 720 Cornelia Paullo nupsit, post felix demum et diuturnum coniugium octodecim annorum rari pro illius saeculi moribus exempli marito morte erepta est. Non satis has temporum rationes expendit Hübner, cum in versibus qui eis quos exscripsi praecedunt

55 Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi.
in me mutatum quid nisi fata velis?

---

*) C. Asinius Gallus natus 713, consul 746; L. Calpurnius Piso natus 705 (Tacit. ann. VI 10), consul 739; C. Julius — sive rectius Jullus audit — Antonius natus 710/711, consul 744.

maternis laudor lacrimis urbisque querellis,
defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
ille sua nata dignam vixisse sororem
60 increpat, et lacrimas vidimus ire deo.
et tamen emerui generosos vestis honores,
nec mea de sterili facta rapina domo.

adversativam particulae '*tamen*' 61 vim inde repeteret, quod Corneliam quamvis immatura morte post exiguum matrimonii tempus obierit, tamen non sterilem domum reliquisse putabat. Immo hic est sententiarum nexus: nil in me mutatum vis nisi fata: hac una re te laesi et tuas Caesarisque Augusti lacrimas excitavi, quod fatis abripi me passa sum, et te filia, Juliam sorore, Caesarem privigna orbavi. Fateor, ingrata sum, et tamen summos qui in feminam a Caesare Augusto conferri possunt honores emerui, stolam, fecunditatis et pudicitiae insigne: qua in sententia 'emerendi' vocabulum castrense perquam scite positum est: vult enim Cornelia tot stipendiis muliebribus perfuncta videri quasi veterana. Haec igitur apte procedunt: sed aliud est quod in his versibus quotiescumque lego semper me offendit: *urbis* querellarum mentio versu 57 facta, qua praeter inanem iactantiae speciem satis moleste matris lacrimae a Caesaris vitrici dolore dirimuntur. Fallor, an scripsit Propertius

maternis laudor lacrimis ORBISQVE querellis,
defensa et gemitu Caesaris ossa mea?

quod sane non insolentius dictum est quam: '*ebria cum multo traherem vestigia Baccho*' I 3, 9 vel '*at me .. patiare .. sollicitas triviis pervigilare moras*' I 16, 41 et similia. Quo in genere quanta fuerit Propertii audacia documento esse potest carminis nostri versu 72 '*haec est feminei merces extrema triumphi, laudat ubi emeritum* l i b e r a *fama rogum*' id est *liberorum fama*, sicut IV 7, 10 ausus est '*nec pote cognatos inter humare rogos*'.

Iam transitura ad liberorum allocutionem oratio Corneliae in ipso limine titubat: accusativi enim *te Lepide et te Paulle* non habent unde pendeant. Neque nominativis *tu Lepide et tu Paulle* quos interpolati libri praebent — Neapolitani, ducis in recensendis Propertii carminibus longe omnium fidissimi praestantia per hanc elegiae partem aegre caremus — hiulca sermonis forma commode resarcitur. Si enim apte iunguntur '*tu Lepide et tu Paulle, condita sunt vestro lumina nostra sinu*', ut declaretur non defuisse matri morienti liberos in quorum sinu animam efflaret, attamen quid iam fiet interpositis verbis '*meum post fata levamen*'? quo modo levaturos eos esse vel mortuae matris dolorem censebimus? quo modo autem cum his cohaerent quae sequuntur '*vidimus et fratrem sellam geminasse curulem*', quae tum demum apta erunt si in antecedentibus quoque verbis curulium honorum mentio facta fuerit? Excusandus sane Hübner, quod versus 65. 66 insiticios esse iudicavit: verum praetervidit stolae honori,

quo Cornelia se Caesaris beneficio auctam esse gloriatur, respondere sellae curulis geminationem, scilicet praeturae et consulatus, nam ab aedilitate Scipio ut patricius exclusus erat: sorore stolata femina non indignus frater ad consulatum evectus. Harum igitur sententiarum compagem non dissolvemus, sed firmabimus potius: opus enim est additamento sicut senserat iam Bährensius, quo et structura verborum fulciatur et sententia expleatur, quam talem fere fuisse suspicor: te Lepide et te Paulle, meum post fata levamen futurum, (nam iam in ipsa fati consummatione me levastis), hortor ut exemplum patris secuti in honorum cursu feliciter coepto perseveretis, sicut et fratrem meum, avunculum vestrum vidimus consulem. Intercidit itaque distichon inter v. 64 et 65, quo subsequens fratris commemoratio praeparabatur.

Iam ad initium elegiae redeamus, cuius ars perfecta clarius apparebit, si scaenam eius breviter adumbraverimus. Intravit pompa funebris ipsum gentis Aemiliae mausolaeum: iam restat ultimum exsequiarum munus, quo perfecto mortuae umbrae ad inferos descendere et Charontis cymba aquas Stygias traicere licet: restat ut defunctae cineres in urna collecti in inferiore monumenti cubiculo condantur. Nihil remansit ex mortali Corneliae corpore nisi ossa cremata et umbra. Iam Corneliae umbra corporis vinculis exsoluta in ipsius sepulcri limine ad suos quos apud superos relictura est sese convertit ultimum eis vale dictura. Adest maritus insolabilis, adsunt liberi flentes: intrarunt sepulcri atrium — fingere enim nobis licet similem mausolaei dispositionem, qualem nobis aliquot monumenta, velut sepulcrum ad viam Latinam a Peterseno olim descriptum (annal. instituti archaeol. 1860, 348 sqq.) repraesentant — incipit Cornelia: 'Desine, Paulle marite, tuis lacrimis sepulcri mei quietem turbare velle; nil agis, nam ubi semel funebris pompa sepulcri ostium supergressa loca inferorum legibus subiecta intravit, nullis precibus effici potest ut ianua leti reserata mortuo reditus in luminis oras pateat. Sic est: σιδηρείη οἶμος Ἀιδέω (AP. VII 412) exorari nequit. Atque ut Dispater preces quas fundis auribus percipiat — quod fieri non potest, si quidem Stygiarum aquarum surda littora lacrimas tuas antea iam bibent — tamen vota tua irrita cadent. Superi enim votis moventur: Charontis cymbam ubi umbra inscenderit, reditus ei occlusus est'. Non video quid in hoc sententiarum nexu et ordine displicere possit, modo verba poetae sic distinguas:

Desine, Paulle, meum lacrimis urguere sepulcrum:
    panditur ad nullos ianua nigra preces,
cum semel infernas intrarunt funera leges:
    non exorato stant adamante viae.
5 Te licet orantem fuscae deus audiat aulae,
    (nempe tuas lacrimas litora surda bibent)
vota movent superos: ubi portitor aera recepit,
    obserat herbosos lurida porta rogos.

Volgo enim orationem per singula disticha sic dispescunt, ut sententia eadem, 'ex domo Plutonia neminem redire posse' quater satis ineleganter repetatur. Cui incommodo quod viri docti transpositione versuum succurrere conati sunt, remedio in elegiacis poetis non minus saepe quam frustra temptato, eius medicinae opportunitas iam nostra sermonis distinctione sublata esse videtur: neque amplius ad ea interpretandi artificia confugere opus erit, quibus nonnulli interpretes vocum in exsequiarum ritu sollemnium, velut 'funeris', 'sepulcri', 'rogi' discrimine neglecto poetam eas promiscue pro lubidine usurpasse statuerunt. Immo verborum proprietates diligenter observasse Propertium par est et ea quam praemisimus interpretatio comprobat, modo in ultimo versu *herbosos .. rogos* referre liceat ad antiquum huius vocis usum ex humandi more prisco explicandam. Comperimus enim ex bustis Gallicis Vercellis detectis et a Bruzza descriptis (*iscrizioni Vercellesi* p. LI; novi ex Marquardtii antiquitatibus privatis VII 1, 381) rogum quondam superstructum fuisse foveae, in qua corpore cremato ossa delapsa glaeba insuper iniecta condebantur. Eundem morem si apud reliquos Italiae populos indigenas observatum esse statuimus, mirum esse nequit quod '*rogus*' paullo liberiore usu ipsum hoc ossium quasi conditorium significaverit, cum praesertim hoc vocabulum apud Italiotas '*horrei*' significatione usurpatum esse testimonia ab H. Iordano in quaestionibus de latinae linguae historia p. 84 composita doceant: cf ῥογοί, σιροί σιτικοί, σιτοβολῶνες Hesych. s. v. et σιτοβόλια· ταῦτα δὲ ῥογοὺς Σικελιῶται ὠνόμαζον καὶ ἔστι τοὔνομα ἐν Ἐπιχάρμου Βουσίριδι. Atque loci clausi et obsaepti notio, ut hic propterea aptissima est quia porta rogos obserare dicitur, ita nec ab altero Propertii versu (IV 7, 2) aliena esse videtur *sunt aliquid Manes: letum non omnia finit, luridaque evictos effugit umbra rogos*, sic enim iamdudum librorum meliorum scriptura '*evinctos*' vel '*eiunctos*' recte emendata est: vicit enim umbra claustra*). Neque inconsulto variata est oratio ea re quod quae vivo et vegeto marito nequiquam in preces effuso '*nigra*' obstat ianua leti, eadem umbrae inani et lucis colorumque sensu orbatae et ipsa '*lurida*' vocatur. '*Herbosos*' autem hos rogos quin apte appellaverit poeta propter glaebae iniectionem in exsequiarum ritu sollemnem iam non est quod dubitamus. Alterius denique enuntiati formam parenthesi paulisper obscuratam agnoverunt interpretes in exemplo gemello quod legitur in diris lenae IV 5, 41 sq.: *nec te Medeae delectent probra sequacis (nempe tulit fastus, ausa rogare prior), sed potius mundi Thais pretiosa Menandri, cum ferit astutos comica moecha Getas.* Sicut enim hic additur cur Medea pro obsequio probra tulerit, sic Cornelia explicat cur mariti preces a Diti patre audiri posse negaverit, scilicet ne perveniunt quidem usque ad Plutoniam aulam a surdis litoribus interceptae.

'Haec enim, pergit Cornelia, est lex dura maesti carminis quod tubae funeris ceci-

---

*) Qui orationis color evanuit in Ovidii imitatione (trist. IV 10, 86): *si tamen extinctis aliquid nisi nomina restat et gracilis structos effugit umbra rogos.*

nerunt, cum ignis corpori meo subiceretur'. iam mente a mariti dolore ad ipsius defunctae statum miserum conversa, ipsa paulisper fati iniquitatem deplorat et loco in his epicediis communi *) nihil sibi vitae honestae claritudinem et innocentiam profuisse queritur:

> quid mihi coniugium Paulli, quid currus avorum
>   profuit aut famae pignora tanta meae?
> non minus inmites habuit Cornelia Parcas,
>   et sum quod digitis quinque levatur onus.

En summarium quasi sequentis orationis tripertitae qua Paulli coniugium felix (73—96), generis paterni et materni nobilitas (37—60), pudicitiae denique fama liberorum multitudine probata (61—72) celebratur. Est enim minime defensio apud inferorum iudicium, sed simplex earum rerum quibus poeta defunctae laudes exsequi eiusque memoriam apud aequales et posteros ornare voluit enarratio. Atque orditur sermo a generis laudibus, quae Corneliae nihil profuerint: vel Cornelia propterea quod ex nobilissima stirpe prognata fuit non mitiores experta est Parcas, sed mori debuit. Restitui librorum optimorum sicut Neapolitani scripturam *non minus . . . habuit Cornelia,* quae multo nervosiorem reddit sermonem, si quidem sic maiore cum pondere et ipsius quae loquitur nomen proprium declaratur et totius gentis Corneliae appellatione stirpis nobilitas quasi sub oculis proponitur. Transitus autem a tertia ad primam verbi personam vix durior quam exempli causa III 10, 15 *dein qua primum oculos cepisti veste P r o p e r t i indue .. et pete qua polles ut sit tibi forma perennis inque meum semper stent tua regna caput.* Item reduxi in pentametro ex eodem Neapolitano *et*, quod aptissime sententiae clausulam adnectit; quod enim volgo editur

> num minus inmites habui Cornelia Parcas?
>   en sum quod digitis quinque levatur onus!

nimis turbat orationis flebilis et leniter fluentis cursum placidum et feminae clarissimae dignitati unice accommodatum. At nunc oboritur animo subito Plutoniae domus species, et noctis aeternae aquarumque Stygiarum et poenarum quae damnatorum animas manent subit imago. His terroribus commota, quasi iam inter umbras pro tribunali versetur, obtestatur Ditem ut in iure molliter secum agat vel si iudicium sollemne sibi subeundum sit ut legitima ratione causa sibi dicenda sit. Iam verba facere incipit: non opus est patrono, '*ipsa loquor pro me*'; sed sensim redit recordatio: nondum descendit in Charontis cymbam: pergit itaque in sermonis, quo ultimum suis valere dictura fuit, cursu paulisper intermisso.

---

*) eisdem coloribus Marcelli mortem immaturam deflet: *quid genus aut virtus aut optima profuit illi mater et amplexum Caesaris esse focos?* III 18, 11, neque aliter vel Porcius Licinus de Terentio: *mortuus Stymphali Arcadiae in oppido* < *sepultus est.* > *Scipio nil profuit, nil Laelius, nil Furius*, vel Cornelius Severus conquestus est de Cicerone: *quid favor aut coetus, pleni quid honoribus anni profuerant? sacris exculta quid artibus vita?*